

Disputatio medica inauguralis, quaedam de natura intima phthiseos pulmonalis complectens / quam, annuente summo numine ... Georgii Baird ... ; eruditorum examini subjicit Hugo Ley.

Contributors

Ley, Hugh, 1790-1837.
Baird, George Husband, 1761-1840.
Stewart, Charles, active 1790-1823
Cline, Henry, 1750-1827
Ley, Hugh, 1790-1837
King's College London

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat C. Stewart, 1813.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gfr9b87n>

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by King's College London. The original may be consulted at King's College London. where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.


**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

479.

Disputatio Medica de
Natura Phthisicos pul-
monalis.





KING'S
College
LONDON

Key *Library*
Disputatio medica inauguralis...
1813
KCSMD QP121. LEY

200826598 8



KING'S COLLEGE LONDON

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

PHYSICS

PHYSICS DEPARTMENT

CHICAGO, ILL.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUAEDAM
DE
NATURA INTIMA
PHTHISEOS PULMONALIS
COMPLECTENS.

THE
NATIONAL
BUREAU OF
BIOLOGICAL
SERVICES
WASHINGTON, D. C.
1916

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUAEDAM
DE
NATURA INTIMA
PHTHISEOS PULMONALIS
COMPLECTENS ;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI ;
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO ;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HUGO LEY,

Anglus,

COLL. REG. CHIR. LOND. SOC.

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

nuperque

PRAESES ANNUUS.

KING'S COLLEGE HOSPITAL
MEDICAL SCHOOL.

*Rara temporum felicitas, ubi sentire quae velis, et quae sentias
dicere liceat.*

TAC. HIST. LIB. 1. § 1. vers. fin.

Die VIII ante Kal. Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT C. STEWART,
Academice Typographus.

MDCCCXIII.

576297 KCOMD

QPIRI. KEY



LIBRARY OF THE
 UNITED STATES DEPARTMENT OF THE ARMY
 MEDICAL DEPARTMENT
 WASHINGTON, D. C. 20305

THE
 MEDICAL DEPARTMENT
 OF THE ARMY
 OFFICE OF THE CHIEF OF MEDICAL SERVICES
 WASHINGTON, D. C. 20305

THE
 MEDICAL DEPARTMENT
 OF THE ARMY
 OFFICE OF THE CHIEF OF MEDICAL SERVICES
 WASHINGTON, D. C. 20305

THE
 MEDICAL DEPARTMENT
 OF THE ARMY
 OFFICE OF THE CHIEF OF MEDICAL SERVICES
 WASHINGTON, D. C. 20305

THE
 MEDICAL DEPARTMENT
 OF THE ARMY
 OFFICE OF THE CHIEF OF MEDICAL SERVICES
 WASHINGTON, D. C. 20305

GEORGIO PEARSON, M. D.

SOC. REG. LOND.

ALIARUMQUE SOCIETATUM AD LITERAS COLENDAS

INSTITUTARUM SOCIO,

SERENISSIMI PRINCIPIS DUCIS EBORACEN.

MEDICO ORDINARIO QUIN ET DOMESTICO,

NOSOCOMII S^{cti} GEORGII LONDINENSIS

MEDICO SENIORI,

E PERMISSIS COLL. REG. MED. LOND.

&c. &c. &c.

s.

AUCTOR.

Occasionem, quae in praesentia offeratur, qualem quantumque de me meritis es gratiam testandi, lubentissime arripio. Me scilicet praelectionum auditorem tuarum beneficiis sero obliviscendis affeceris; me quinetiam omnimodis benevolentia prosecutus sis et urbanitate; me denique tyronem, artis, qua nemo te solertior, principis dum inivitaveris, necnon penetralia praemonstraris, et mira meum erga hujusmodi studia oblectatione animum perfuderis:— Horum ergo academicum hocce tentamen tuo nomine velim ornatum, quod gratiae mentis meae, exile licet, extet monumentum.

Diu sis salvus, vir mihi amicissime, et quam longissime, ut soles, exerceas artem Hippocraticam, seculo inserviens praesenti, nec minus venienti profuturus; diu spem atque subsidium aegrotis ministres; diu medicorum eluceas decus et princeps. Vale.

GEORGE BRANTZON, M. D.

1850

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSIOLOGY

LECTURE NOTES

BY GEORGE BRANTZON, M. D.

CHICAGO, ILL.

1850

PRINTED BY

W. B. EYRE

LECTURE

The first lecture was devoted to a general review of the history of physiology, and to a description of the various organs of the human body. The second lecture was devoted to a description of the various organs of the human body, and to a description of the various organs of the human body. The third lecture was devoted to a description of the various organs of the human body, and to a description of the various organs of the human body. The fourth lecture was devoted to a description of the various organs of the human body, and to a description of the various organs of the human body. The fifth lecture was devoted to a description of the various organs of the human body, and to a description of the various organs of the human body.

The sixth lecture was devoted to a description of the various organs of the human body, and to a description of the various organs of the human body. The seventh lecture was devoted to a description of the various organs of the human body, and to a description of the various organs of the human body. The eighth lecture was devoted to a description of the various organs of the human body, and to a description of the various organs of the human body. The ninth lecture was devoted to a description of the various organs of the human body, and to a description of the various organs of the human body. The tenth lecture was devoted to a description of the various organs of the human body, and to a description of the various organs of the human body.

PATRI SUO CARISSIMO,

AMICO AB INEUNTE PUERITIA USQUE OPTIMO,

HUGONI LEY, M. D.;

NECNON

AVUNCULO SUO DILECTISSIMO,

JACOBO HALSE

ARMIGERO;

HASCE STUDIORUM MEDICORUM PRIMITIAS,

ANIMI HAUD INGRATI PIGNUS,

DICATAS ESSE

VULT

AUCTOR.

KING'S COLLEGE HOSPITAL
MEDICAL SCHOOL.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
1207 EAST 58TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637
PUBLISHED BY
JACOBO HALL

To

H. Cline Esq.
with Compl.
from the Author.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUAEDAM DE
NATURA INTIMA
PHTHISEOS PULMONALIS
COMPLECTENS.

QUAEDAM PRAEFANDA.

INTER morbos frequentissime et maxima cum severitate corpus humanum affligentes, Phthisin Pulmonalem certe enumerare licet. Eheu! quot inexorabilis hujus morbi effectibus defatigati atque dilacerati, quotannis, ne dicam quotidie, pereunt, et posthac, ni fallor, perituri sunt! Minime enim, cum de Phthisi Pulmonali loquamur, Iatro-mathematici celeberr-

rimi verbis tumidis nobis utendum est; “ hoc
“ nobile problema, quod est, dato morbo, in-
“ venire remedium,” nobis non adhuc est
solutum, nec cito solvendum esse credo.
Perpauci forsitan, vel potius nulli, extiterunt,
qui vel consanguineum carum, vel amicum,
quo semper familiarissime usi sunt, huic mor-
bo juventute succumbentem, non amiserunt;
et probatione majori vix opus est Phthisin
Pulmonalem esse morbum cum frequentem
tum lethalem.

Sydenhamus ille celebris, qui tot per an-
nos ita fuit versatus, ut morborum signa et
causas quam accuratissime observaverit, pro-
priasque observationes candidissime in com-
mentarios retulerit, affirmare non dubitat,
“ duo fere trientes” illorum, quos morbi
chronici tunc temporis jugulabant, Phthisi
Pulmonali interiisse. Heberdenus etiam, qui
seculi ultimi media parte morbis inquirendis
se dedidit, numerum ex hoc morbo funestis-

simo defunctorum aliquantulo esse majorem computabat. “Quarta enim,” ait ille, “pars
“hominum qui ad adultam aetatem perve-
“niunt, illo feruntur perire.”

Quandoquidem vero mortuorum rationis, quotannis Londini editae, veritate nituntur hae computationes, ne omnino (ut agnoscit etiam Heberdenus) quae credantur, sunt dignae; et forsitan haec est erroris causa. Quorundam morborum, quorum in multis Pulmones sunt insontes, nota praecipua est macies. Omnes vero hujus generis morbi, ab iis, quorum est officium defunctorum numerum indagare, et causas mortis perscrutari, inter Phthiseos Pulmonalis casus recensentur. Et quamdiu isti, qui pro his tabulis in numerum, et mortuorum morbos inquirent, rei medicae penitus sunt ignari, et quamdiu ex his mortuorum ratio, quae quotannis Londini vulgatur, omnino pendet, tamdiu non potest fieri ut hunc errorem prorsus vitare

DISPUTATIO MEDICA

possimus. Quamvis vero res sit ardua numerum hoc morbo absumptorum ad amissim addiscere, ab his observationibus necesse est judicemus Phthisin Pulmonalem esse frequentissimum periculosissimumque morbum.

Res est igitur magni momenti, ut illius morbi, qui artem nostram ita jactatam hucusque fefellit, et qui strages tantas etiamnum edere perstat, naturam recte intelligamus. In confesso est, a morbi natura intellecta, non necessario consequi, ut inde, quâ medeatur, colligamus. Talis vero scientia experimentis magno est adjumento; quoniam methodi medendi novae, et (si ita sperare liceat) melioris experimentum facere forsannos ducat, eodemque tempore ad ista medicamenta vitanda, quae aegrotanti nocere possint, nos dirigat. Iis, qui temporibus priscis sibi rationalem artem vendicaverunt, de hac re nequeo non assentiri; multum enim illorum sententiae inest veritatis, multumque

judicii limati. Sibi persuasum habebant (ut Celsi scriptis certiores facti sumus) “ eum
“ recte curaturum quem prima origo causae
“ non fefellerit. Neque vero inficiantur ex-
“ perimenta quoque esse necessaria, sed ne
“ ad haec quidem aditum fieri potuisse, nisi
“ ab aliqua ratione contendunt.”

In morborum naturis indagandis, tres sunt praecipui scientiae fontes. Hi sunt notae ipsae, juvantia et laedentia, et quae incis in corporibus patent; atque his aliquando forsitan adjiciamus causas remotas. Ex signis, ut posthac plane demonstrabitur, de natura hujus morbi opiniones suas medici plerique praecipue collegerunt. Juvantia et laedentia vix aliquid nos docere possunt, quoniam de propria medendi methodo nondum inter medicos convenit. Sic quidam * haud parvi

* Dr J. C. Smyth, on the use of Swinging in Phthisis Pulmonalis.

nominis, non clare monstrans, qualis sit ille pulmonum affectus, quo constat Phthisis Pulmonalis, nihil autem dubitans, quod opinio, hunc morbum ulcera pulmonum sanando, et cicatrice obducendo curandum esse, a falsa ratione, et verae morbi naturae ignorantia originem duxerat, aegrotos, aestivis saltem mensibus (aliis enim temporibus hanc methodum medendi utilem esse non affirmat), funiculo insidentes, sursum deorsumque corpus jactando curat. Alter * nobis vix nimis venerandus quoniam ad scientiam medicam promovendam permultum contulerit, asserere non dubitat, equitationem contra Phthisin Pulmonalem remedium esse non minus certum, quam Hydrargyrum contra Luem Veneream, vel Cinchonam contra Febres Intermitteres. Tertius †, cui dubium non est

* Sydenhami Diss. Epist. ad spect. et ornat. virum Gul. Cole.

† Essay on Pulmonary Consumption by Wm. May.

hunc morbum non alium esse quam Scrofulam maturam aetatem adorientem, methodum apud medicos adhuc adhibitam reprehensu dignam esse putat; et auctoritate sua fretus, victum plus nutrimenti praebentem, tres quatuorve in die vini cyathos, et subinde cerevisiae generosioris haustum pro potu communi commendat. Alii vero, atque hi forsitan medicorum partem constituentes majorem, tremore (et haud inani forsitan) semper affecti ne occurrat inflammatio, omnia, quae diathesin inflammatoriam (ut verbis technicis utar) promovent, et omnes vel totius corporis, vel pulmonum solummodo irritationes maxima cum anxietate praecavent. Ex his igitur satis constat, nobis adhuc non esse remedia, hoc in morbo curando, quibus credatur, digna; quae opinio viro eximio sic bene prolata est: "Proposer," inquit Desault *, "une methode assurée pour gue-

* Sur la Phthisie.

“rir les poulmoniques, n'est ce pas se van-
“ter d'avoir trouvé la regle pour mesurer
“la longitude dans la navigation, le grand
“oeuvre de l'Alchimie, et autres choses de
“cette espece que l'on cherche depuis long-
“tems sans succes.” Ex cadaverum sec-
tione frequenter ~~repetita~~ solummodo natu-
ram morbi intimam vere addiscere possu-
mus; atque etiam in hac via tentanda erra-
vere multi, ut posthac erit locus mihi di-
cendi.

Hic morbus, ex signo quod fere semper
occurrit, nomen habet. Nomen vero istud
nondum satis est definitum, quin eo persaepe
ambigue usi sint medici. Ex origine φθίω de-
ductum, nihil praeter maciem significare vi-
detur, et haec in morbo de quo nunc mihi
agendum est, gradu adeo intenso aliquando
accedit, ut cutem circa membrorum articu-
los, nunc adipis defensu privatam, ossa prae-
acuta extrema perpetuo prementia, exulce-

rent; quamobrem ossa omnino nuda apparent. Marcor equidem haud raro hujus morbi primum est indicium. Non mirum est igitur medicos plerosque ad hanc morbi proprietatem animos praecipue attendisse; atque igitur hac de causa hunc morbum, cujus haec nota ita est conspicu^a ~~esse~~, κατ' ἐξοχὴν Phthisin nominaverunt. Marcor vero cum in lae-
sis pulmonibus, tum quoque aliis aliarum partium morbis frequentissime occurrit; itaque necesse fuit, ut verbum adderent aliquod, quo designarent hunc morbum ex pulmonum vitio originem duxisse; atque hoc consilio verbum *Pulmonalis* usurpatum est. Ex Cul-
leni vero scriptis plane constat Phthisin Pulmonalem morbos et natura, et signis, et cursu multum inter se distantes, et in quibus haec solummodo sunt communia, nempe macies et ejusdem visceris affectio, quantumcunque sit diversa, complecti. Hoc autem genus morborum, quod proprie insignitur tabe pulmonum vitio exoriente, forsitan pro-

be retineamus. His solis in rebus morbi, quos complectitur genus, inter se mutuo consentiunt, et dotibus eorum peculiaribus ad species constituendas utamur. Species hujus morbi duae a Culleno distinguuntur, vero, ut opinor, minus recte; gradu enim vel stadio solummodo inter se discrepant, et “ in “ universum morbos gradu solum differen- “ tes non nisi ejusdem speciei varietates “ praebere censemus.” Si igitur Phthisin Pulmonalem inter genera retineamus, species ex natura istius pulmonum affectus, ex quo pendent signa, optime constituentur. Atque huncce ordinem consecutus, in animo mihi est de specie, quam *tuberculosam* vocare liceat, disserere.

Phthisin Pulmonalem Cullenus haemoptyseos sequelam esse putabat. Neque cum Phthisi hanc sanguinis profusionem aliquem habere nexum inficio; eam vero ut morbi indicium vel effectum, potius quam causam,

considerari oportet. Haemoptysis enim Phthisica non occurrit nisi “ post tussim “ cum macie et debilitate diuturnam;” et nullus dubito, quin earum causa notarum ex tuberculis oriatur. Neque hac de re forsitan cum eruditissimo “ Nosologiae Metho-
“ dicae” auctore prorsus dissentio; in recensendis enim hujus haemorrhagiae speciei synonymis “ Haemoptysin ex tuberculo pul-
“ monum,” Sauvagesii speciem constituentem decimam, inter ea enumeravit. Est igitur Haemoptysis Phthisica, (de aliis enim hujus haemorrhagiae speciebus, ut Phthisin rarissime generantibus, nil morari consilium est), hujus morbi effectus potius quam causa; quamobrem Phthisis Pulmonalis inter haemorrhagias non omnino recte collocata est. Si sit necesse hunc morbum proprio suo Nosologiae Culleni loco referamus, eum forsitan in genere “ Tabe,” ordineque “ Marcoribus” enumerare potius erit. Huic vero etiam ordini aliquid objici potest; faciat, ut attentiores

simus quam par est ad unum indicium, quod haud majoris est momenti, quam quoad pulmonum affectionis naturam indicat. Ab omnibus aliis certe longe distat hic morbus, atque inde difficillimum dictu est, quis debeat esse in “Nosologia Methodica” situs. Propria ejus ita sunt peculiaria, ut forsitan hic morbus in systemate Nosologiae stet solus necesse est. Propter haec etiam aliud nomen, quod naturam morbi intimam melius designaret, cum utilitate usurpari poterat; et vix ullum aliud *Pulmonum Tuberculis* anteponendum est, e quibus constare Phthisin Pulmonalem experientia satis superque demonstravit. Aliae omnes causae praeter Haemoptysin a Culleno recensitae hoc modo effectus edunt; vel tuberculorum formationem promovent, vel ea jam formata, (ut loquuntur plerique) irritant.

DE SIGNIS MORBI.

Prius autem quam de hujus morbi natura amplius disserere incipiam, indicia ejus necesse erit in medium proferre, quibus recte definitis, nil de morbo errari poterit: atque hoc melius non in me perficere est, quam recentis et facundissimi scriptoris verbis ipsis utendo. “ Phthisis Pulmonum *,” inquit iste venerandus auctor, “ fere incipit a tussicula arida, quae, cum videtur parvi interesse, negligitur, donec spatium habuit aliquod, et paulatim aucta periculi metum incutere coepit. Hujusmodi tussis duravit aliquos annos sine aliis malis; immo interdum penitus conquievit, et post intermissiones modo breviores modo longiores, reversa est. Aeger autem, postquam inter

* Gul. Heberden. Commentar. p. 316.

“ spem metumque diutius traxit, tandem no-
“ vorum malorum accessione infestatur; quae
“ quoque interdum ipsum primum tussis ad-
“ ventum prope sequuntur. Haec autem
“ sunt, spiritus creber, raucitas, fastidium,
“ macies, debilitas, dolores pectoris, sudores
“ effusi per quietem, sputa cruenta et puru-
“ lenta, horrores et postea calores, ardores
“ faciei, manuum, et pedum, pulsum nu-
“ merus superans nonaginta in sexagesima
“ horae parte, crurum tumor, et menstrua
“ in foeminis suppressa. Calculus exiguus
“ interdum extussitus est, et cum ad ulti-
“ ma ventum est; saepe supervenit alvus fu-
“ sa, quae tenues virium vitaeque reliquias
“ praecipitat.” Phthiseos Pulmonalis hic
progressus est solitus, et de hujus morbi for-
mis insolitis non mihi est in animo aliquid
dicere.

DE CAUSA PROXIMA.

De natura intima, vel (ut nunc loquuntur alii) de causa proxima hujus morbi, nondum inter medicos convenit; hae fortasse opiniones diversae ex eo ortae sunt, quod adhuc cadaverum sectiones nimis frequenter sunt neglectae. In morborum naturis indagandis, haec via, si modo eam prosequi nobis sit permissum, semper est tentanda; nullo enim alio modo mutationes partis de corpore aliqujus morbidas cum signis antecedentibus conjunctionem indagare possumus; potissimumque in Phthisi Pulmonali ad hunc scientiae fontem applicandum est, quoniam fere semper easdem mutationes hoc in morbo pulmones subeunt, atque ab his structurae mutationibus signa pendent, et expositionem accipiunt.

Ad “speciem confirmatam” hujus morbi constituendam ulcera pulmonum esse necessaria diu putabant medici. Deductio autem illa minus observationibus inniti, quam ab aliquo principio generali logice fuisse derivata videtur. Principium putabatur esse, cui nil objiciendum erat, ut ubicunque pus productum esset, quandam continui solutionem extitisse necesse erat. Sitne igitur supurationis conjunctio cum exulceratione universa nunc examini subjiciendum est. Diu certe affirmantium opinionem tuebantur medici; sententiae autem ullius vetustas veritatis nequaquam est justa mensura. Recte de hac re loquitur Brugmanns *; “Erunt sane
“ qui virum laudatum pro veritate demon-
“ strata assumptisse judicabunt, quae demum
“ demonstranda erat;” sed, ut dicit auctor † de
Medicina Theoretica praeclarus, “longa de-
“ mum experientia medici didicerunt magna

* Dissert. De Puogenia.

† Gregorii Conspect. Med. Theor. Exordii, p. 42.

“ nomina non nimis venerari, et opinionum
“ auctoritatem verae scientiae semper inimi-
“ cam spernere.” De hac re vero contro-
versiam gerere minime necesse est. Ad
omnes enim tales lites componendas, Johan-
nis Hunter, rerum et anatomicarum, et chi-
rurgicarum, et physiologicarum apprime pe-
riti, multum labores contulerunt. Observa-
tionibus suis satis probatum est, partes cor-
poris quasdam, sc. membranas, quae vel ca-
nales vel cava interna circumscripta obte-
gunt, sine exulceratione pus formare posse.
Sic inter pleuras costalem et pulmonalem
haud raro sine exulceratione pus effunditur ;
tales observaverunt casus solertissimus iste
scrutator anatomicus, de quo supra dixi-
mus, frater suus Gulielmus Hunter, Hewso-
nius, aliique. Ut alia hujusmodi exempla in
medium proferam, (quod factu non foret dif-
ficile), haud opus est. Pus sine exulcera-
tione non infrequenter oriri, ab his jam me-

moratis abunde constat; atque igitur quoniam in universum axioma nequaquam est verum, ab eo aliquid inferre minime licet.

His autem ex observationibus haud omnino consequitur, ut in hoc morbo exulceratio ne existat, atque ergo nunc de puris sputo investigari restat; ad hoc enim symptoma maxime attenderunt medici, et inde ulcerationem ipsam intulisse videntur. Quamvis Phthiseos confirmatae cl. Cullenus hoc symptoma in caractere enumeravit, complures tamen, (si qua fides scriptis medicorum *), sine expectoratione purulenta huic morbo succubuerunt; et alicujus morbi, ex signo quod haud in universum occurrit, essentiam vix deducere possumus. Ponamus vero ita esse, ut expectorationem purulentam nobis semper observare liceret, quidnam ab ea inferendum est? Estne pus expectoratum

* Bonetus, Morton, Wilson, &c.

semper cum pulmonum ulceribus conjunctum? Hanc conjunctionem esse universam permulti certe putaverunt, ut etiam Culleno visum est. Si vero ab auctoritate adeo magna dissentire mihi sit permissum, auctorum haud parvi nominis observationum veritate fretus, hanc sententiam in dubium vocare ausim. Si quis medicorum, rerum, quae nostram ad artem pertinent, peritus, homines expectoratione purulenta copiosa laborantes mortuos esse, quorum in pulmonibus ne minima quidem ulceris vestigia detegi potuissent, cadaverum sectione monstraverit; haec opinio, quamvis sit a viro auctoritate magno-pere pollente prolata, repulsam accipiat necesse est. Atque hujus rei, ut existimo, et ampla et certissima sunt testimonia. Et imprimis eruditissimi * De Haën observationes citemus, non quia primus fuerit omnium, qui hanc rem observaverat, sed quia hunc ad

* Ration. Medend. cap. 7.

auctorem Culleni observationes praecipue spectant. Hujusmodi exempla, “ reperit “ aliquoties” De Haën, et nosocomio publico occurrentia auditoribus demonstravit. Hunc casum faeminae miserrimae praecipue recenset, “ quae,” (ut verbis auctoris ipsius utar), “ praeter insuperabilem valetudinem “ Phthisi Pulmonali tanta laborabat, ut si- “ milem spatio viginti duorum annorum non “ viderim, quae sputa flava, subviridia, cras- “ sa, magna, aquae salsae illico petentia fun- “ dum copiosius ejiceret. Mensis spatio “ apud nos degens die noctuque in mortem “ usque sputare perrexit.” Corpore vero post mortem cultro anatomico subjecto, haec phaenomena apparuere. Inter pleu- ram pulmonalem lateris sinistri et pericardium adhaesiones separatu haud difficiles sese ostenderunt. Invenit “ pulmones totos “ non collabentes, sed veluti fungosos; et “ quomodocunque examinarentur ac tran- “ scinderentur, ne vel guttutam puris, vel

“ vomicarum vestigia exhibentes.” Alter ejusmodi casus ab eo memoratus est. Hydropticus fuit, “ qui sputorum quantitate ac qualitate a longo die Phthisicus ac plane Hecticus esse. In pulmonibus ad minima frustula examinatis, ne vel minima aut vomicae aut puris vestigia cernere licuit.” Fide omnino dignae certe videntur hae observationes: et has, ut parum accurate collectas, rejicere, vel hunc auctorem “ historias in museo fictas pro veris tradendi” suspicari, nobis haud licet. Quum primo hujusmodi casus observaverat De Haën, de generatione puris nulla fuit ei hypothesis cui aliquid suppeditare potuerunt; ab his vero ipsis inductus, res, quae ad “ puogeniam,” cujus multa sunt explicatu difficillima, spectant, ad perscrutandas animum intendit; et quum complures ejusmodi casus observaverat, sententiam “ de generatione puris” in medium protulit. Ab observationibus de hac re propriis suis, et ab iis aliorum medi-

corum haec sequitur legitima conclusio * ;
“ Si in Phthisi Pulmonali pus copiosum
“ diuturno tempore ore excernatur ; nec ap-
“ ta post mortem, qua genitum locatumque
“ fuerit, sedes inveniatur, necesse est illud
“ ab ipso sanguine immediate secretum fuis-
“ se, cum aliud nihil, quod cum pulmone
“ communicet, assignari possit.” Ad hanc
opinionem cōfirmandam, “ egregii † Profes-
“ soris Patavini” auctoritas plerumque ci-
tata est ; quoniam vero Morgagni ipsi non
certum erat, materiem e pulmonibus extus-
sitam vere purulentam esse, illius testimo-
nium producere nequeo. Ejusmodi casus
exceptionibus minus obnoxii, multis ab auc-
toribus memorati sunt. Tales olim observa-
vit Bennetus ‡ ; atque his in exemplis de ge-
neratione puris inter eum et De Haën omni-
no convenit. Multos ille marcere fere con-

* De Haen Ration. Medend. cap. 11.

† De Sedibus et causis Morborum. Ep. 22. Sect. 28.

‡ Theatrum Tabidorum.—Exercit. 22 & 23.

fectos vidit, qui “ fluxione periodica mitiori sputum murie conditum” per biennium aut triennium effudere “ *per extremos arteriae* “ *pulmonicae venosae dictae surculos*, quibus tamen pulmonis erosio non accessit.” Hanc rem tam bene confirmatam esse putavit Schroeder *, ut tales casus opinionem suam, nempe pus sine inflammatione formari posse, bene illustrare conceperit; Brendeliumque citat, qui haud raro observerat phthisicos, “ quibus ne vestigium quidem ulceris “ jam elaborati vel alius visceris fuisset,” et Hippocratem, Cummium, et Bartholinum, quorum ex observationibus constat expectorationem puris copiosissimam aliquando existere, quum vix ulcerationem suspicari liceret, quoniam aegrorum vires non multum fuerunt imminutae: aliqui “ vigorem formae “ suae” servaverunt; alii “ adeo in dies “ carnosius evaserunt, ut vestimenta arctiora

* Opuscul. Medic. Vol. II. p. 483.

“ sensim fieri sentirent.” Ex observationibus de Phthisi Burserio * prolatis, hae memoratu digniores sunt : “ Quod ad puris sputum attinet, scire licet non raro sputa purulenta copiosa diu excreata fuisse tussis ope molestae, quin tamen ulcere pulmones laborarent. Quod confirmatur a Frid. Casimiro medico, qui cadaverum sectione rarissime post puris sputum invenit ulceratos pulmones, at saepe induratos.” Ab his igitur testimoniis, ut existimo, abunde constat, pus haud raro extussitum esse, quamvis pulmonum non sit ulcus. Neque vero inficior, puris expectorationem et pulmonum ulcera aliquando conjungi ; hanc enim conjunctionem interdum extitisse satis probaverunt scrutatores anatomici ; eam vero minime esse constantem affirmare nihil dubito, atque igitur Culleni conclusio paucis his verbis prolata, “ In every case of an expecto-

* Instit. Med. Pract. Vol. IV. Cap. 3. § 60.

“ration of pus, I presume there is ulceration of the lungs,” non necessario est vera.

KING'S COLLEGE HOSPITAL
MEDICAL SCHOOL.

Nunc igitur mihi dicendum est qua in re consistere Phthisin Pulmonalem cadaverum sectiones probaverunt, vel, ut verbis auctorum recentium systematicorum utar, quae sit ei causa proxima; et “cette cause conjointe de la Phthisie nous l'établissons dans tubercles et concretions, qui se sont formez dans la substance du poulmon, et qui sont repandus dans ses lobes *.”

In anatomia morbida, si scientiam, quae mutationes, quas subeunt variae corporis fabricae, et colligit et ordine collocat, ita vocare liceat, res est bene cognita, observatores ad ea seligenda phaenomena, quae ad morbi constitutionem necessaria sunt, ab iis, quae

* Desault, sur la Phthisie.

sunt adventitia, non satis caute animos appulisse. Sic se in morbo, de quo nobis nunc agendum est, habuerunt res. Inter ejus symptomata, praecipue puris expectorationem, et pulmonum vel abscessum vel ulcerationem, conjunctionem aliquando observare licuit; atque inde exoriebatur opinio tamdiu inter medicos complures accepta, partiumque externarum rebus analogis confirmata, observationibus autem non satis frequenter repetitis omnino pendens, “ quod sit Phthisis totius corporis intabescencia ab ulcere pulmonis orta.” Hanc esse veram definitionem, (definitionis enim formâ prolata est sententia), nondum mihi liquet. De hujus opinionis veritate quaedam pulmonum ex Phthisi confirmata in Nosocomio S^{ti} Georgii Londinensi defunctorum sectiones, quas observaveram, scrupulum mihi injecerunt. Horum pulmonibus quam accuratissime examinatis, nec vomicae nec ulcera detegi potuerunt. Structurae mutatio, quam subierunt

pulmones, ex formatione corpusculorum, *tubercula* dictorum, de quibus vero posthac erit dicendum, tantum constabat. Hujusmodi casus etiam unus ad opinionem communem, inter Phthisin et Pulmonum ulcera nexum esse universum, subvertendam abunde sufficeret. Plura vero ejusmodi exempla propriis oculis visa, quibus resisti fere ne potuit, a sententia vulgari me deduxerunt.

Villisius * Oxoniensis de hujus morbi natura, quam bene intellexit, “vulgarem errorem,” ut inquit Richter, “insectans,” hanc ejus sententiam in medium protulit. “Phthisis,” ait ille, “definiri solet, quod sit totius corporis intabescencia ab ulcere pulmonum orta. Verum minus recte, quia plerumque ab hoc morbo defunctorum cadavera aperui, in quibus pulmones ulcere quovis immunis, tuberculis, aut lapidibus, aut ma-

* Pharmac. Ration. Part. 2. Sect. 1. Cap. 6.

“ teria sabulosa per totum consiti fuerunt.
“ Quapropter Phthisis melius definitur, quod
“ sit totius contabescencia a mala pulmonis
“ conformatione orta.”

Exempla his similia observaverat Mortonus, et libri versus finem, casum, qui hanc rem bene illustrat, memoravit: miserrimae nempe foeminae, quae, praeter alios morbos, hoc etiam laborabat; et quam, ut verbis Mortoni * utar, “ in ultimo Phthiseos Pulmonalis stadio
“ (sicuti vel ipso primo aspectu ex summa emaciatione, tussi, febre et dyspnoea, con-
“ jectabam) satis aerumnose obversantem de-
“ prehendi.” Cadavere secto haec apparuere phaenomena. “ Pulmones,” inquit, “ nulli-
“ bi exulceratos, tuberculis autem crudis et
“ calculis cretaceis ubique fere obsessos vi-
“ dimus.” Ex eo quod frequentissime haec tubercula observaverat Mortonus, tria hujus

* Phthisiologiae Lib. 3. Cap. 14.

morbi stadia distinxit;—*Primo*, Ubi nihil nisi pulmonum “infarctio” ab aucta seri secretionem fuit;—*Secundo*, Ubi tubercula formata fuerunt; et haec ex glandularum tumoribus constare putabat;—*Tertio*, Ubi haec tubercula suppurata fuerunt; et hoc modo, eo iudice, vel vomicae vel ulcera formatae fuerunt. Non omnino naturalis vel justa est haec divisio. Primum existere stadium ab eo minime probatum est. Tubercula fere semper observavit; et exempla, quibus hi tumores citra exulcerationem lethales erant eventu, in scriptis suis protulit. Atque etiam quum ulcera observaverit, ea haud raro tuberculis esse comitata nos certiores fecit. “Quae
“tubercula,” dicit ille, “sive crudos et
“glandulosos tumores saepe in cadaveribus
“deprehendi, cum caeterae pulmonum par-
“tes apostematibus et exulcerationibus es-
“sent obsitae.” Tertium igitur vel exulcerationis stadium manifeste ad ἀκμὴν morbi constituendam non necessarium est, quoniam

complures hoc morbo defuncti sunt, quibus haec pulmonum conditio non accesserat.

A Boneto quidam hujus generis casus referuntur. Ex his unius partem transcribam, quia descriptionem tuberculorum maxime accuratam, quae mihi unquam occurrit, exhibet. “ Tota illorum *” (pulmonum sc.) “ ante et retro, atque intra loborum majorum interstitia conspersa erat corpusculis “ albis, duriusculis, magnitudine seminis “ millii, papaveris albi, quaedam magnitudine seminis cannabis, densissime junctis, “ vix remanente spatiolo de pulmonum ab “ illis immuni.”

A Morgagni multam de hac re notitiam assequi, vel etiam expectare nobis non licet; quoniam se corpora ex hoc morbo defuncto-

* Sepulchret. Anatom. Lib. 2. Sect. 7. Addit. Obs.

rum incidere noluisse ipse dixit; non enim dubitabat quin esset hic morbus maxime contagiosus. “Cum videlicet *,” ait, “vix unquam ejusmodi pulmones dissecare voluerim, multoque minus haec tubercula et illas glandulas, praesertim quod ad sedem attinget, diligenter accurateque inter se comparare.” Quosdam vero tuberculorum, quos comitatae sunt vomicae, casus descripsit; et ad unum praecipue referam, quo “pulmonem † sinistrum hic illic parva tubercula continentem vidit, quorum nonnulla erant suppurata.” In epistola decima quinta multos Phthiseos Pulmonalis a calculis casus descripsit; horum quosdam tuberculorum esse casus verisimile est. Dr Baillie ‡, vir arte sua exercitatissimus, et cujus observationibus omnino medici confidunt, tuber-

* De sed. et caus. Morb. Ep. 22. Sect. 21.

† Ibid. Sect. 17.

‡ Morbid Anatomy, p. 69.

cula mutationem structurae pulmonum frequentissimam constituere nos docuit, et illorum descriptio illi jam a Boneto citatae simillima est. Atque etiam Dr Sam. Foart Simmons *, rerum medicarum haud parum peritus, post multas inquisitiones de hoc morbo diligenter factas, et post multas cadaverum sectiones, nos certiores fecit, eos re vera perpaucos esse, qui Phthisi Pulmonali interierunt, quorum in pulmonibus plus minusve harum concretionum invenire non licuit. Saepe ille cadavera eorum, qui ex hoc morbo mortui sunt inspexit, *et nunquam adhuc tubercula omnino abfuisse invenit.* Quoniam igitur tubercula hunc fere semper morbum comitantur, et quoniam ab his haud raro sine aliis pulmonum affectibus morti succubuerunt, nobis forsitan inferre liceat, haec morbi essentiam constituere

* Practical Observations on the Treatment of Consumptions, p.9.

et ulcera, vomicasque, quantumcunque et aegroti miseriam augeant, eventumque infelicem propinquiorem reddant, esse fortuitas.

Tuberculis maxime infestatur pars pulmonum posterior et superior, atque his tumoribus magis frequenter lobus sinister, quam dexter, afficitur. Structura eorum organica forsitan non est; minutissimi saltem liquores in arterias pulmonales et bronchiales injecti, nondum in eorum vasa sunt propulsi. In dotibus, cum mechanicis, tum chemicis, materies, quae constituit tubercula, a sanguinis fibrina non discrepat; et quoniam vasa telae cellulosaе, qua inveniuntur haec tubercula, ex arteriis bronchialibus originem ducunt, harum forsitan extremitatibus secernitur haec materies.

Quod ad tuberculorum molem attinet, variant, (ut dicunt plerique), ex seminis millii magnitudine, ad semipollicem. Cum vero

hanc magnitudinem acquirunt, ea ex tuberculorum, tela cellulosa invicem conjunctorum, congerie constare, potius quam unum esse tuberculum, considerarem. Atque huic opinioni observationes et experimenta viro-
rum anatomiae practicae peritorum magno-
pere favent. Licet enim liquores subtili-
ores colore rubro tincti per hujus membra-
nae cellulosa vasa ita transeant, ut ejus
structura per totum ruberrima fiat, tuber-
cula tamen, ut granula parva et duriuscula,
sine colore manent.

A tempore Mortoni, et forsitan ejus auc-
toritate aliquantulum freti, haec tubercula
glandularum tumoribus consistere putave-
runt medici. Hanc conclusionem, partim
ex tuberculorum characteribus externis, et
partim ratiocinatione analogica, deduxerunt.
Ab iis aliquando fuit observatum, hunc mor-
bum eos, qui praecipua diatheseos scrofulosae
signa exhibuerunt, vel qui tumoribus exter-

nis manifeste strumosis, aut olim, aut eo ipso tempore quo Phthisi laborabant, fuerunt obnoxii, interdum aggredi solere. Harum inter duos morbos rerum similium observatione inducti, primo assumpserunt medici glandulas in pulmonibus existere; tum ex his glandulis induratis consistere tubercula affirmare non dubitaverunt; atque inde, (et his assumptionibus admissis satis juste), consecuta est conclusio has indurationes quoad earum naturam strumosas esse. Huic opinioni de natura tuberculorum glandulosa ita adversatur Dr Baillie, ut observationibus de hac re suis nihil objici possit. Nulla est structura glandulosa *, inquit auctor jam citatus, in cellulosa conjunctiva pulmonum membrana, et interiore tracheae ramorum parte, ubi sunt folliculi, tubercula haud unquam observata fuerunt.

Hunc morbum cum scrofula intime et necessario conjunctum esse, tamdiu putaverunt

* Morbid Anatomy, p. 70.

medici haud parvi nominis, ut negare vix ausim. Rebus autem adhuc observatis non satis, ut opinor, probata est haec universa conjunctio. De hac re forsitan non multum abest quin sit vera Doctoris Simmons opinio*.

—Saepe, inquit ille, ab acrimonia scrofulosa oriuntur tubercula, et quidam medici celebres plurimos Phthiseos Pulmonalis casus ex hac causa originem ducere putaverunt. Hanc tamen opinionem ultra quam par est, extenderunt. Eos verisimile est his nexibus tuberculosis illusos fuisse, quos temere pro glandulis morbidis, ideoque glandularum affectibus, qui in scrofula occurrunt, similes habuerunt.—His duobus in morbis consilia mendi diversa esse videntur; et quibusdam in locis scrofula valde frequenter occurrit, ubi Phthisis Pulmonalis minus etiam, quam aliis in locis, abundat. Hoc, si recte intelligam, in insula Vecte sic se habet. Ibi scrofula pene est endemica; Phthisis autem Pulmo-

* Practical Observations, &c. p. 12.

nalis inter hujus insulae incolas, quam inter Anglicanos sibi maxime vicinos, rarius observatur. Si igitur causas praedisponentes in phthisi et scrofula easdem esse admittamus, strumosamque ad diathesin necessarias, difficile est intellectu, quare isti populi priori morbo minus obnoxii forent, cum illarum affectionum, quae a scrofula manifeste oriuntur, valde sunt capaces.

Haec corpuscula (tubercula sc.) aliquando ita fuerunt abundantia, ut totam pulmonum materiem occupaverint; atque haec tanta tuberculorum congerie constitit, ut gravitatem, quam aqua, superiorem habuerit. A vultu aegri infelicis, a livido labiorum, digitorumque extremitatum colore, manifestum est ut talibus in casibus sanguis, in ejus per pulmones circuitu, necessarias mutationes haud subeat; et pulmonibus scalpello exploratis plane videtur, ut tali cum structurae permutatione, sanguis salutariter mutari mi-

nime potuerit. His in exemplis quibusdam mirum visum est quomodo pulmonum munus diu antea non tam impeditum fuisset, quam ut aegro mortem faceretur. Talibus autem aegris, communicatio inter cordis auriculas post mortem saepissime sese ostendit. Consilium ejus satis in aprico est, nec possumus non admirari prudentiam naturae, quae, aliam aperturam faciendo, per quam transeat sanguinis saltem portio, ubi transitus ejus per pulmones impeditus sit, cavet ne stranguletur aegrotus. Causa vero, unde directe proveniat haec, adeo obvia non videtur. Certum est, circuitu sanguinis per pulmones ita obstructo, ut sanguinis congestio dextro cordis in latere necessario consecutura sit. Hinc primo conjiceretur, ut impulsu sanguinis membrana foraminis ovalis perrupta fuisset. Duobus autem in casibus, qui mihi ipsi, olim praelectionum clinicarum Doctoris Georgii Pearson auditori, sese obtulerunt, talis conjectura omnibus phaenomenis ne satisfacere

potuisset. Nobis expectatum foret, si haec communicatio, vi mechanica exorta esset, aperturam hanc permagnam fore, et margines ejus rupturae speciem exhibituros esse. Res autem adeo sese non habuerunt, et nisi ad cor animos nostros maxime intendissemus, apertura ipsa observationem nostram omnino eludisset. Naturae autem his in operationibus plus curae fuerat; aperturam enim quasi valvularem formaverat illa, margine membranae supra auricularum septum, cui filamentis annectebatur, quasi aulaeum suspensa. Quiddam huic simillimum urinatoribus accidit. Hi, (et conjicitur a vi consuetudinis oriri), respirationem multo diutius, alii quam homines, suspendere possunt. In horum quibusdam certi sumus facti, foramen ovale apertum esse: atque hoc abunde igitur explicabit quomodo tamdiu aquae submersi manere possunt.

Vomicae quoque aliquando in pulmonibus

observatae sunt, et pro sequelis vel tuberculorum effectibus sunt habendae. Hae frequentissime tubercula esse suppurata dicuntur, quorum autem vascula, ut olim asseveravi, nondum ars anatomica in lucem protulit. DrBaillie*, qui merito inter scriptores de anatomia morbida minutissimos numeratur, *ea pauca vel etiam nulla vascula habere*; qui modus loquendi insinuare videtur, seipsum nusquam in tuberculis ipsis aliqua vasa detegere valuisse. Frequentia autem in iis supurationis quibusdam probare visa est, vascula illis inesse; talis autem probatio nullo modo hoc demonstrare videtur. In theoria stabilienda minime satis est, assumptionem omnibus phaenomenis satisfacturam esse; etiam necesse est ut illius veritatis externam aliquam probationem haberemus. Nil autem hujusmodi adhuc oblatum fuit, atque idcirco eam ut hypothesin rejicere licet. A princi-

* Morbid Anatomy, p. 70.

piis vero quibuscunque phaenomena suppurationis explicare studeamus; utrum puris productionem esse secretionem, sive quiddam e principiis seri, seu proximis, seu ultimis denuo compositum ducimus; arterias ad pus formandum omnino necessarias esse admittendum est. Nihilominus ne ullo modo supponere tubercula ipsa vascularia esse necesse est, quoniam absque tali suppositione vomicarum formationem facillime explicare possumus.

Suppuratio, observare liceat, vix unquam nisi in tuberculis largioribus prae se fert. Jam argumenta mea proposui, quare illa tuberculorum minorum, inter se tela cellulosa vasculari nexorum, congeriem esse potius existimo, quam solitaria tubercula vi interna tumescentia. Formatio igitur vomicarum maxime omnium ex abstractione hujus membranae "ulcerativa absorptione" (verbis si Johannis Hunteri uti nobis fas sit) con-

stare videtur; ex quo consequitur ut tubercula, amisso connexionis medio, in abscessum ita formatum praecipitentur. Et huic opinioni favet quiddam a Baglivi * solerti asseveratum. “ Si quis,” ait ille, “ tussiendo
“ alba quaedam veluti granula excreaverit,
“ et granula illa compressa digitis summo-
“ pere foeteant, vomicam pectoris latentem
“ certo denunciant, praesertim si alia quo-
“ que aderint signa: hi, rupta vomica, ut-
“ plurimum derepente moriuntur.” A D^o Stark † observatum quoque fuit, ut ubicunque pus ejectum subflavum sit, et parvis constans moleculis rotundis, verisimile est idem a vomicis parvulis oriri. Haec igitur corpuscula fuisse tubercula concludere congruum est.

Vomicae aequae ac tubercula a scrofula oriri dictae sunt. Jamdudum de hujus mor-

* Prax. Medicinae, cap. 13. § 8.

† Stark's Works, p. 23.

bi cum scrofula nexu locutus sum, nec opus est, ut quod ibi dixi repetam. Alia quaedam istam ad opinionem confirmandam argumenta a natura et aspectu vomicarum possunt deduci. Multum distat non tantum inter has et abscessus aliarum partium strumosos, sed quoque inter easdem atque abscessus tales ipsis in pulmonibus formatos. In primis materiei, quam continent, natura discrepant. Abscessus, si a scrofula exorti sunt, maxima ex parte fibrinae filamenta vel floculos in sero fluctuantes continere describuntur; materies autem vomicarum puri multo similior est, tametsi apud Baglivi aliosque auctores foetida granula complectuntur. Abscessus pulmonales, ubi e genere strumoso sint, illas pulmonum partes, quibus annectuntur, parum afficiunt; ubi autem abscessus a tuberculis ducunt originem, partes pulmonum iis vicinae ita indurantur, ut aëra omnino excludant.

Ulcera, quoniam vomicae tantum videntur esse in bronchiis jam diruptae, silentio transire possumus.

Manifestum igitur est, ut Phthisis Pulmonalis, quatenus natura ejus anatomice detegi possit, tuberculis nitatur. Quoniam enim in morbo, cui attentionem ducere volo, quemque Heberdenus tam accurate descripsit, ut in aggressionibus suis insidiosum, lente progredientem, et in terminatione sua frequentissime lethalem, tubercula forsitan semper observata sunt; quoniam vomicae, et maxime omnium ulcera, ex occasione tantum occurrunt, et, ut mihi videtur, omnino fortuitae, et ad morbum etiam confirmatum constituendum haud necessariae sunt; ex tuberculis solummodo hujus morbi essentiam deducere possumus. Hoc autem in proferendo, neque de pneumonia et ejus effectibus, neque de catarrho ab inflammatione membranae

bronchiarum mucosae originem ducente, mihi est in animo disserere.

Itaque nil jam reliquum est, quin ut perspiciamus quatenus haec Phthiseos theoria in se habet, quod bonam et veram theoriam constituit; utrumne videlicet omnibus morbi phaenomenis satisfaciat. Operae minime praetium erit hoc principium universis Phthiseos signis accommodare, neque quomodo tubercula tussim, pectoris dolorem, dyspnoeam, et haemoptysin gignunt, explicare. Macies autem quoad ejus naturam non est adeo simplex; et illius causae explicatio multo difficilior est, quam signorum, quae jamdudum enumeravi. Duplex verisimiliter est, atque a duabus causis manifeste diversis originem ducit. Prima inter morbi indicia frequenter se ostendit, quo tempore potius ad assimilationis defectum, quam ad actionem vasorum absorbentium auctam spectare videtur. Ciborum assimilatio unum est naturae

arcanorum, quae debiles hominum vires ne adhuc comprehendere potuerunt. Anatomiae et physiologiae auxilio, cursum nutrimenti per omnes suas mutationes, priusquam sanguis evaserit, exploravimus. Ultra vero minime progredi possumus. Physiologia nos ne adhuc certiores fecit, quare talem circuitum chylus describit, antequam omnes per corporis partes trajicitur, ubi contra via magis directa ingressum suum in cor systemicum (ut quidam loquuntur) minus difficulter faceret. In corpore autem, cujus omnibus in functionibus et partibus summum consilium adeo clare se manifestat, minime con-jicere licet, ut chylus tales ambages erga pulmones per venas prosequeretur, si cui-dam utili consilio ne satisfactorius esset. Valde igitur rationi congruum est, ut in pulmonibus aliquam mutationem assimilationi necessariam chylus subeat; cujus autem natura nullis adhuc verbis describenda est. In Phthisi autem oportet haec mutatio ex mu-

tatione ipsa pulmonum imperfectior evaderet.

Sanguis quoque, in suo per pulmones tractu, procul dubio mutatur, quod, prius quam ex usu fiat, illi necessarium videtur. Harum mutationum quaedam in sanguine venis abstracto sunt imitabiles. Quomodo autem evolutio ista principiorum, quae per tenuem pulmonum membranam mucosam transeunt, talem sanguinis mutationem operetur, quae nutriendi potestatem priusquam absentem suppeditare possit, minime concipiendum est. Atque huic attribuendum est, ut experimenta in aëris mutationes in pulmonibus instituta parum de assimilatione nos docuerunt. “ Et satis verisimile est sanguinem
“ aliam quandam mutationem chemicam ibi
“ loci subire, cujus acidi istius exhalatio signum sit et effectus : praesertim si animum
“ ad hoc attendamus, nimirum nutrimentum

“ omne prius per pulmonem transire, quam
“ majorem circuitum intret, nec unquam,
“ saltem in sano homine, crudum in eo san-
“ guine conspici, quem cor sinistrum ad re-
“ liquum corpus miserit*.” Mutatio, quae in
sanguine respiratione efficitur, atque maximi
momenti est, verisimiliter in chylo nascitur.
Utrum vero hoc ita se habet seu alias, si il-
lam mutationem, quam sanguis in pulmoni-
bus certissime subit, assimilationi necessa-
riam esse admittamus, minime conceptu dif-
ficile erit qui haec functio, mutata ipsa pul-
monum structura, impediretur.

Extrema illa macies, quae in stadio morbi
provectiore occurrit, eidem causae partim
tribuenda videtur; vero etiam partim pro-
hecticae signo habenda, cujus in causa de-
monstranda, (de hac enim re multum non
dissere posse), hoc ejus comitans phae-

* Gregorii Consp. Med. Theor. § 1066.

nomenon seu symptoma explicationem accipiet.

Primo aspectu, huic principio congruenter, difficile videatur, unde in Phthisi proveciore expectoratio purulenta eveniat, exponere; et procul dubio haec difficultas, (quam si ulcerationem revera existere admittamus, adeo bene explicare possumus), fecit ut ista opinio ita universe acciperetur, cujus tamen frequenter, nil erat testimonii quin res ipsa, quam ut explicaret, consultum erat. Ex observationibus multorum auctorum, quos jamdudum citavi, ostendere jam nitebar mucosam pulmonum membranam sine exulceratione pus formare posse. Atque igitur a priori expectatum foret, hoc tuberculorum ab irritatione effici posse. Haec tamen opinio ab auctoritate magis solida pendet. Hoc enim jam fere demonstratum fuit a praeceptore meo semper mihi colendo D^re Georgio



Pearson*, qui tantum laborem, tantamque curam in pulmonibus phthisicorum indagandis impendit. Materiem quandam, cui sint omnes puris qualitates, haud raro jam morbo provento, extussitam descripsit; tamenque haec materies sine ulla continui solutione eiciebatur. His in exemplis, quae ut vera essent dissectio probavit, modus manifestissimus, ne dicam solus, hanc puris expectorationem exponendi esse videtur, ut eam pro morbida vasculorum membranae pulmonum mucosae secretionem ducamus. Et in vomitarum casibus, quae nihil cum bronchiis communicant, (atque hi frequentissimi sunt casus), puris origo eadem sit oportet: cellulae enim his abscessibus contiguae, quoniam adeo oblitteratae sunt, ut aëri sint impenetrabiles, egressum materiei purulentae admittere ne possunt.

* Philosophical Transactions for 1809.

Quod ad hecticæ causam, quæ saltem hujus morbi solummodo sit symptoma, duæ opiniones habitæ fuerunt. Quidam et maxime omnium ill. Cullenus hanc corporis totius conditionem puris absorptioni acris adscribunt. Sin, ut Dr Reid olim inquisivit, febris hectica ex puris acrimonia a morbidis pulmonibus absorpti originem duceret, unde priusquam tubercula pure referta sunt, sive aliquid puris in pulmonibus generatur, eveniat *? Priusquam vero Culleni, ejusque sequacium, theoriam veram esse admittere possimus, necesse est ut demonstretur, imprimis, pus formari;—*2do*, hoc pus acre esse;—*3tio*, hoc pus acre absorberi;—et *4to*, hoc pus acre absorptum hecticæ originem esse. Quoniam vero pluribus, ne dicam omnibus, in exemplis, hæc res universæ nullo modo accidere probatæ sunt, hæc opinio, ut mihi videtur, pro hypothesis spectari debet. Al-

* Reid's Essay, p. 41.

tera de hecticæ natura opinio, cujus mentionem feci, ea est a Johanne Huntero oblata. Haec autem opinio peculiari ejus dictione, ad quam suis in scriptis tantum adspiravit, direptâ, factorum solummodo est accumulatio. Hanc ejus opinionem ex commentis celeberrimi Adams hic proferam: “ Hectic
“ fever is an habitual, universal sympathy of
“ the constitution struggling with a disease
“ it is unable to overcome,” et nil dubium est ut in hoc morbo ita res se habeant. Haec igitur Hunteri sententia conclusio esse videtur permultis ex factis deducta; ob eamque causam, opinioni Culleni, quae hypothesin implicare videtur, multum anteponenda.

FINIS.

Excudebat C. Stewart.





DISPUTATIO

[Faint mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

LIVRE

[Faint mirrored text]





479.

Disputatio Medica de
Natura Phthisicos pul-
monalis.

